



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 128. Franciscus Xaverius ad Regnum Bundi delatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1552.

Theod. Beza  
in vit. Calv.  
hoc ann.

§. CXXVII.

*Calvinus Genevæ exagitatus.*

Nec majori, quam ceteri tranquillitate Calvinus Genevæ potiebatur; nondum enim altercatio, qua anno prior cum Bolseco conflictabatur, erat penitus sopita, nam identidem plures novi adversus eum adversarii insurgebant; cum enim quæstio, quæ litis occasio erat, plurimum perplexa esset, difficultates ibidem contentæ curiositate plurimorum excitabant, qui illud systema impugnare unice intenti erant; quapropter hac super re non modo in urbe, sed in omnibus quoque Provinciis disceptationes audiebantur, & quivis juxta animi sui propensionem huic, vel illi parti adhærebat. Quinimo non deerant ex Bernensibus Ministellis nonnulli, qui in Calvinum judicii acta instrui petebant, eo quod Deum peccati Auctorem dixisset, quem errorem eidem jam antea Bolsecus objectabat, nec minus ipse etiam Castalion Basileæ clam Calvinum impugnabat, nec etiam Catholici calamos suos adversus hunc Hæresiarcham stringere intermittebant.

§. CXXVIII.

*Franciscus Xaverius ad regnum Bur-  
gi delatus.*

Curr

Cum interea hæresis totam ferme Europam tumultibus repletet, Franciscus Xaverius Ecclesiam Christi ad remotissimas usque plagas extendere adlaborabat, cumque nonnisi duobus millibus a Bungi portu, ad quem illius conditionis Rex eum summis precibus invitaverat, absens esset, Stephanus (\*) Gama Lusitanæ navis Navarchus eidem obviam procedit, cum vero eundem pedibus euntem, ac sacræ supellectilis sarcina onustum offendit, ei confestim equum offert, atque ambo comitantibus eos pluribus Lusitanis ad portum perveniunt, ubi Xaverius festiva omnium bombardarum explosione salutabatur, quinimo ipsemet Rex ejus adventum edoctus quantocius quemdam e suis Proceribus sibi sanguine junctum obviam misit unacum literis, quibus Rex suam erga Xaverium benevolentiam amplissimis verbis testatus eundem rogabat, ut altera die ipsum inviseret; haud obscuris enim signis monstrabat Rex, quod veræ fidei præceptis imbui desideret.

§. CXXIX.

(\*) Turfelinus, & Orlandinus hunc Navarchum vocatum fuisse Oduardum testantur.

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

*Turfelin in vita Xav.*

*l. 4. c. 9.*

*Mass. hist.*

*l. 5.*

*Orland. hist.*

*Soc. l. II. n.*

116.